



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,  
Commentarii**

**Sacchini, Francesco**

**Ingolstadii, 1616**

Profectus aßidui studium.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41515**

amicis suis impetrarent alias. Nec raro quæ cupe-  
ret offerri pro se placamina certa nominabat, ut  
ad septem in urbe solennes Basilicas supplicatio-  
nem; septem sacrificia ad impetranda sancti Spi-  
ritus dona, & alia horum similia. Par inde post  
successum operis per se, aliosq; gratiarum Deo a-  
gendarum subibat cura. Quin ipsum successum  
alienis precibus, ac sociorum præsertim meritis,  
nihil sibi arrogans, adscribebat.

Nec verò ad commoda magis aliena per hanc  
orandi solitudinem, quam ad perpetuam vir-  
tutis suæ perfectionem enitebatur. Vbi sacratio-  
res per annum dies interuenirent, vbi nouus coo-  
roretur annus, vbi nouum aggrederetur munus,  
nouamque adiret sedem, excitabat se se, collectis-  
que viribus, ac multiplicatis precibus, novo cum  
impetu in omnem se laudem dabat. Friburgi qui-  
dem anniuersaria cum redirent Tutelarium ciui-  
tatis solennia, conferre se in ædem Principem S.  
Nicolai solebat: ibi in sancti Joannis Sacrario  
vespertinam psalmodiam exequi, & alias addere  
preces tanto cum sensu, ut interdum extra se euoc-  
atus totusq; in Deum abreptus, haud facile sibi,  
tametsi concuteret, redderetur. Sed conatum ad

*profectus aßt.  
dus fjudicium.*

y per-

perfectionem, quām intermitteret nūquam, sed  
in dies redintegrare curaret, vel ipsæ demonstrat  
literæ, in quibus quocunq; anni tempore scriptis  
vſitata clausula est, obsecrare, vt impetretur sibi  
facultas à Deo maiore cum perfectione sanctæ so-  
cietatis Vocationi faciendi satis, vtq; in Domini-  
ca messe cum fructu semper vberiore versetur.

*Largissimus in  
precatione pro  
alios.*

Porrò qui tā liberalis erat in corrogandis sibi pre-  
cibus aliorum, nihilo erat parcior in suis vicissim  
hominum omni generi impertiendis. Quid ille  
gemituum, atq; piorum clamorum pro pericli-  
tante Germania, proq; Ciuitatibus singulis no-  
minatim, pro Hæreticorum Antesignanis, prov-  
niuerso populo fundebat? Proprias item quotidie  
pro Romanis Pontificibus, & aliis Christianæ Rei-  
publicæ sacris, ac laicis Potestatibus, proprias pro  
Societatis Generali Præposito totaque societate,  
proprias pro iis, apud quos, & cū quibus ageret, pro  
periclitantibus, & morientibus, pro suis & socie-  
tatis obtrectaoribus, & aliis quam plurimis facie-  
bat: vſq; eo, vt supra quinquaginta collegisset, &  
adnotasset diuersa genera causarum, quas apud  
Deum supplex patronus ageret: cuperetq; iam se-  
nior indicem habere Germanorum omnium,

qui

